



~~1689~~

Gouanus

Catalogus dissert.

I. J. Semler.

1. *Epist. super 2 Timoth. II. et III.*
2. *Sessionis VI Concilii Trident. exemplum.*
3. *De Regeneratione monastica.*
4. *De prestantia theop. acroamatica pro se dicta biblica.*
5. *De infelicitate hominum presenti.*
6. *De Christo ad Abgarum epistola.*
7. *De imagini divina in humana spsi natura.*
8. *De mysticorum interpretationum studio.*
9. *Indiquitatum hermeneuticarum ex Tertull. puel.*
10. *De tempore quo scripta fuerit epistola Pauli ad Galatas.*
11. *Baptizatos fuisse, de quibus agitur Act. XIII. 5*
12. *De propagata per Nonifacium inter Germanos ref. christi.*
13. *De discrimine notionum vulgarium et christianarum in libro A. S. observando.*
14. *In Math. I. 17.*
15. *De cavenda molesta sedulitate sacra.*
16. *In Luc. I. Gabrielum spir. s. non esse.*
17. *Jesusum Christum esse Paulo auctore verum Deum et verum hominem. diss. II.*
18. *Illustratio antiqui sermonis ex evangelio Hebraeorum.*
19. *De vario et impari veterum studio in recolen. da historia descensus ad inferos.*
20. *Virgilium s. recte describi personam.*
21. *De Desobovoro et evangelio Hebraeorum.*
22. *De discrimine inter barbaros et hereticos.*

II. J. A. Nöckelt.

23. *Singularis providentiae divinae in pace religionis vestigia.*
24. *De discernenda propria et propria dictione.*
25. *De Calicis patrum graecorum in nouum.*
26. *In 1. Cor. II. 20 et 24.*
27. *Inscript. caritatis anglica Luc. II. 14.*
28. *De Christo homine regnante.*
29. *Deum auctoritatem divinam religionis christi confirmare sicut maioribus legislatione sinaitica.*
30. *ad Hebr. II. 11.*
31. *in 2. Cor. III. 17.*
32. *ad Num. XXXIII. 17.*
33. *in Job. VIII. 20-23.*
34. *De vera vi nominis filiorum dei.*
35. *In 2. Thimoth. II. 1-12.*
36. *In Act. VIII. 1-7.*
37. *In Job. XII. 13-17.*
38. *Quod in No. ligni unig. N. 31. - 74¹
78. Quod est 8^o 2. Cor. II. 6.*

N. 129.
1.

37

36.

INTERPRETATIO GRAMMATICA
LOCI IOANN. C. XV, 1--17.

PROLYSIO PASCHALIS.
AUCTORITATE
FRIDERICIANAE REGIAE HALENSIS
SCRIPSIT
IO. AVG. NOESSELT.

HALAE,
LITERIS HENDELIANIS.
c1b1occlxxx.



22

INSTITUTIO GRAMMATICAE

JOHANNIS WILHELMI

INSTITUTIO GRAMMATICAE

JOHANNIS WILHELMI

INSTITUTIO GRAMMATICAE

JOHANNIS WILHELMI

INSTITUTIO GRAMMATICAE

JOHANNIS WILHELMI

INSTITUTIO GRAMMATICAE

JOHANNIS WILHELMI

INSTITUTIO GRAMMATICAE

JOHANNIS WILHELMI



Quos Vobis, *Humanissimi Ciues*, sancte celebrandos indicimus dies memoriae *Iesu Christi* e mortuis ad vitam redeuntis consecratos, reuocant ad animos nostros memoriam sermonum eorum, quibus is paullo ante obitum recreauerat amicos suos, ad ferendamque aequis animis discessionem suam confirmauerat. Atque haud scimus an sint in his praecipui diligentissimaque dignissimi commentatione ii, quos contulit cum illis tum, cum coenam caperet vltimam, seseque atque illos praepararet ad horribilem illam noctem qua esset rapiendus ad supplicium; quo quidem extremo & quasi angustissimo tempore, cum praesentissimum esset periculum, sed spatium colloquendi breuissimum, quis dubitet quin Christi sapientia aptissima quaeque & maxime exquisita complexa fuerit, quae ab ipsa iam paene morientis amici persona vim atque commendationem maximam haberent? Tales quidem Ioannes Apostolus retulit in literas capite XV & XVI Euangelii sui, quos per hanc occasionem breui commentario illustrabimus, vt, qui velint eos cogitando persequi, quod vt faciatis hoc sacro tempore, *Ciues carissimi*, etiam atque etiam cupimus & hortamur, habeant viam quandam & rationem, quam teneant, ne in quaerendo verborum sensu haereant, aut eius difficultate impediti videant a Christi mente & consilio alienissima.

Sumimus igitur cap. XV & XVI cum sequentibus coniungi vnoque tenore legi debere ira, vt, quae ibi narrata sint, extrema nocte, ante quam Iesus moreretur, contingerint. Nulla enim sunt in Ioannis narratione vestigia quae ea interrupta ac non potius omnia vna continuatione facta doceant. Neque enim admodum veremur, ne quis occurrat sic vt dicat: non magis has, de quibus quaeritur, partes narrationis Ioan-

neae diuellendas esse a cap. XIII & XIII, quibuscum coniunctae esse videantur, nulla cum occasio sermonis Christi cap. XV reperiatur praeter ea quae in superioribus commemorata essent; attamen haec c. XIII, 1. facta dici *πρὸ τῆς εὐαγγελίας τῆς Πάσχα*, quod non videatur consentaneum illi, quam defendimus, sententiae, quae caput XV & XVI transferat in illum diem, ac eam potius in noctem, qua Iesus in potestatem hostium venerit. Sed utrunque componatur controuersia, quae orta est de ea re, inprimisque de his capitibus apte partiendis aut seiungendis, non obscure Ioannes ipse c. XIII, 31. significat, Iesum per illa: *ἐγείρεθε, ἄγωμεν ἐντεύθεν*, ibi h. e. die ante Pascha finem dicendi fecisse, cetera igitur c. XV sqq. dicta factaque esse sequenti die h. e. cum Pascha ipsum a Christo celebraretur. Neque mirum videri debet, quod in principio huius cap. XV. nulla sit significatio noui sermonis Christi inchoandi. Quamcumque enim coniunctionem huius orationis cum superioribus statuunt, semper illud offendat; *ἐγείρεθε, ἄγωμεν ἐντεύθεν*, & desideretur formula, qua vel occasio noui sermonis vel eius initium certe indicetur. Satis enim poterat videri Ioanni ad docendum, lectoribus hic de nouis Christi sermonibus cogitandum esse, quod & finem superiorum commemorasset c. XIII, 31, & c. XVII, 1, nulla significatione diuisi sermonis interposita, statim subiecisset: Christum, finitis his sermonibus, sese ad preces conuertisse; nec quidquam durius est coniectura eorum, veluti HAVBERI (*Harmon. Anmerk.* p. 209 sq.), qui illa: *ταῦτα ἐλάλησεν* c. XVII interpretantur de his ipsis precibus quae ibi sequuntur, praesertim; cum illa formula semper apud Ioannem ad superiora referatur, vt c. XV, 11. c. XVI, 1. 4 25. 33. Et vero etiam audemus dicere, non alienum esse a genere narrandi Ioannis, praeterire rerum factarum occasionem eamque narratis posthaec subiicere, veluti c. XVIII, 24. ubi significat, quae ante narrata sunt v. 15 seqq., non in Hanae,

nae, sed Caiphae palatio contigisse, quod e toto quidem narrationis contexto v. 25 sq. ceterorumque Euangelistarum libris intelligi potest, ut nihil sit causae, cur interpretes versum 24 aut adulterinum putent aut suo de loco deturbandum. Sed haec alias, reuertamur ad institutam disputationem.

Iam si Iesus sermone c. XV & XVI. contulerit cum discipulis extrema ante mortem nocte, non superuacuum fuerit quaerere: quando? quamque per occasionem? Nempe ea est continuatio horum sermonum ad caput vsque XVIII, ut credibile sit, nostrum, ut ceteros, paullo ante habitum, quam Iesus se ad hortum extra Hierosolyma contulisset h. e. dum coena vltima cum discipulis vesceretur. In qua, cum ceteri Euangelistae referant, Iesum negasse sese porro bibiturum *de hoc vitis fructu* (*ἐκ τῆς τῆς γενήματος τῆς ἀμπέλου*, ut ait apud Matth. XXVI, 29.): quidni Iesum incidisse haec occasione putemus in commemorationem sui, qui sit *vera vitis*, de more quidem suo, cum soleat a rebus praesentibus iisque sub sensus cadentibus, orationem ad animos resque mente complectendas aut moribus exprimendas traducere. Quae quidem coniectura & ea est, quae videatur e narrationibus Euangelistarum sua sponte emergere, & sententiam nostram de hoc Christi sermone ad diem Iesu fatalem transferendo confirmare.

Ego igitur, inquit Iesus c. XV, 1. *vera sum vitis, & pater meus vititor est. Omnem palmitem in me qui non fert fructum, amputabit, omnem contra, qui fructum fert, purgabit ut ad fructus ferendos vberior sit.* Quibus in verbis iunctio est vniuersae huius disputationis. Neque enim, si imagines alienum in sensum torqueas, aut, quae sit imaginem inter & rem adumbratam similitudo, male constituas, non potest peruersa interpretatio existere, quae transuersam agat luxuriantis ingenii temeritatem. Ac primum dubitari non potest, *plan-*
tae

tae imaginem Christi & Apostolorum consuetudine translata
 esse ad doctrinam, ut in illo *Matth. XV, 13*, ubi *planta ea quam
 Pater Iesu Christi plantaverit*, haud dubie eadem est cum
doctrinis praeceptisque humanis v. 9, ut in Christi sermone
Io. III, 36. Iesus se *fatorem* appellat, quatenus doctrina sua
 imbuerat feminam Samaritanam, Apostolos *messores*, ut qui fructus
 huius doctrinae e properantibus ad institutionem Christi
 Sichemitis colligebant; nec *Faullus* *I Cor. III, 6*. alio sensu
plantasse se dixit quam hoc, quod rectam doctrinam Corinthiis
 tradidisset. Deinde Christus ipse *v. 3*. discipulos hos *purgatos*,
 & quasi attonfos palmites, dicit *propter doctrinam quam iis
 proposuerit*, ut *vers. 8*. *veros discipulos*, si quidem quam plu-
 rimos fructus tulerint h. e. *si fecerint quae iis praeceperit*,
v. 14. Omnia omnino dicta, quibus Christus apud Ioannem
 a Patre, ut hic, se missum dicit in terrarum orbem, ut per
 se homines ad veram beatitatem adducerentur, siue propriis
 ea verbis enuntiet, siue sub imaginum & figurarum inuolucris,
 de tradita diuina veritate loquantur, per quam hominibus sa-
 lutem attulerit. *Ego*, inquit *c. XIII, 6*, *via sum & veritas
 & vita* h. e. qui veritate declarata viam ad salutem praemon-
 stre. *Ego sum ianua* quae ducat ad oues; *per me qui in-
 troierit, beatus erit, perenneque pabulum reperiet*, *c. X, 9*,
 si quidem, ut aiebat *v. 3*, *vocem meam audierit*. *Hac de
 causa natus sum atque veni in terrarum orbem, ut veritatem
 profiterer; quicumque amans est veritatis, meam vocem audit*,
c. XVIII, 37. *Cibum perennem eumque sustentantem vitam
 sempiternam filius hominis dabit, hunc enim Pater obsignauit*
 h. e. fidem eius dictis fecit, *c. VI, 27*. Quam ob rem doctri-
 nam suam cibum s. *panem Dei* appellat *de coelo demissum*, qui
vitam det hominibus v. 33, itemque *v. 63* *πνεῦμα* h. e. *πνευμα-
 τικὸν βρῶμα* quod vitam largiatur; statim videlicet subiicit:
doctrinae meae quas eloquor, sunt πνεῦμα καὶ ζωὴ h. e. sacro
 quo-

quodam sensu cibus s. pabulum quoddam, vitamque praestant hominibus; & quae sunt eiusdem generis dicta.

Ad haec igitur si accommodemus imagines, quae loco nostro continentur, *veram se vitem* dicit, vt c. VI. 32. *verum panem*, propter ea quod a Patre constitutus sit in terrarum orbe, vt per se doctrinamque suam vim quandam tribueret ad bene beateque viuendum, sed discipulos *palmites* quasi suos, quod huius doctrinae interuentu, vim recte agendi consequerentur. Qua si minime vterentur nec ferrent idoneos fructus, verendum esse dicit, ne inutilis instar palmitis refecarentur h. e. desinerent esse Christi discipuli iacturamque salutis facerent. Qui enim sint in loco simili Rom. XI. 17. *rami succissi*, nisi Iudaei de iuribus ac beneficiis populi Dei deiecti, & *oleaster insitus oleae*, qui in radice & pinguedinis oleae *communione veniat*, nisi de gentibus homines admissa doctrina diuina quasi insiti verae Ecclesiae, a qua iura & beneficia trahant? Quare & ea, quae sequuntur v. 6. *Nisi quis maneat coniunctus mecum, tanquam palme abiicitur & exarescit, atque tales in fasciculum colliguntur, coniciunturque in ignem & comburuntur*, interpretatur Christus v. 8. per contrarium: *si fructus plures tuleritis, MEI DISCIPULI eritis*. Vicissim in loco nostro: *Palmitem*, addit, *fructiferum* quasi circumcidendo *purgat Pater vt fructibus ferendis copiosior sit h. e.* locupletat talem discipulum Christi doctrinae obsequentem vbertate veritateque scientiae, vt locupletior ad bene agendum fiat.

Tum pergit v. 4. *Manete mecum coniuncti, sicuti & ego vobiscum*, sensu satis obuiio. Quid enim hoc aliud est, quam: sequamini doctrinam meam, qua ego vos imbui? Ea enim erat in causa v. 3. quod puri essent ferrentque fructus idoneos, planissimeque Christus v. 7. cum illo quod dixerat *secum coniunctum manere*, componit alterum illud: *verba mea*

ma-

manent in vobis, quem ad modum in loco Ioannis epist. I. c. 2, 14. *doctrina Dei* dicitur *manere in iis*, qui eam teneant & sequantur. Atque in similibus plane locis, vt 1 Io. III, 22. itemque c. XIII Euangelii v. 21 & 23. pro hoc forma dicendi substituitur: *seruare praecepta Christi, agere quae illi probentur*, iisdemque se ait Christus obsequium remuneraturum beneficiis, quae ante, in locis illustratis, promississet. Nam *ei me*, inquit, *patefaciam*, siue, quod idem est, *ad eum veniam atque manebo*, vt *mansurum* dixerat *magistrum* (μαγίστητον) apud eos h. e. eos aucturum perenni scientia, c. XIII, 16. 17. Nihil igitur est quod dubitemus, quin haec sint omnia ad doctrinae communionem referenda, &, quae sunt in extremis versus quinti: *sine me nihil potestis agere*, ita interpretanda, vt, nisi suam doctrinam teneant & sequantur, facere se nihil possint quod sit probatum Deo, aut boni fructus nomine venire debeat. Placet enim praetermittere, quae hanc inter sententiam superioresque interiecta sunt, cum nihil nisi declarationem dictorum contineant, aut ante a nobis iam fuerint tractata.

Promittit igitur Christus porro v. 7. nouum fructum obsequii siue pietatis in se his verbis: *quodcumque rogaueritis id quidem contiget vobis*, quae repetita vers. 16. non videntur ad solos Apostolos referenda; nam & alibi, vt 1 Cor. III, 22, de aliis dicuntur quoque. Nec ea difficilem habent explicationem, si quidem vel preces quibus aliquid rogarent Deum, referantur ad ea quae sint Christi doctrinae, de qua modo dixerat, consentanea, vel haec isti formulae vis tribuatur, vt Christus significet gratiosos eos Deo fore, eum autem paratissimum ad ea quae haberent in optatis h. e. ad cuiuscumque generis beneficia, fere vt in illo ad Rom. VIII, 32: *si Deus vel filium dedit suum pro nobis, quidni cum eo nobis omnia dederit?* Iterum autem v. 8. commendat accommodatam doctrinae suae pietatem in Deum: *Hoc ipso satisfiet Patri meo, quod*

quod multum feratis fructum, atque vere tum eritis discipuli mei. Nam *ἡ* hic habere vim indicandi modi quo studium probent Deo, vt v. 13. c. XVI, 2 res quidem ipsa docet, nec vis verbi *δοξάζεσθαι* aptius videtur exprimi posse, quam eo quod Deo pietate satisfiat. Etenim *δοξάζειν τῶν*, *δὲν δόξαν τῶν* dicuntur ii, qui faciunt quod alteri debeant aut ei probetur, vt sexcentis in locis, veluti c. XVII, 1. 4 coll. v. 6. Act. XIII. 48. Rom. III, 20. nec nostro in loco potest esse obscurum, cum satisfacere dicantur Deo ferendis fructibus h. e. bene agendo, aut cum fecerint quae iis praeceperit Christus, vt quidem ait v. 14, vbi amici mei iidem sunt cum his, quos hic ornat nomine discipulorum suorum. Fore etiam ea in re veri amoris significationem, his docet verbis v. 9 & 10: *Quem ad modum amavit me Pater, atque ego amavi vos: sic me quoque amate. Si fueritis mea praecepta secuti, me amaveritis, sicut ego sum Patris mei praecepta secutus eumque amavi.* Neque enim *μὲνεν ἐν τῇ ἀγάπῃ τῶν* est de alterius, quo fruimur, amore, sed de eo quo alterum prosequimur, quod satis perspicuum est e c. XIII, 21. 23. 24.

Dixerat haec de amore, quo eum complecti deberent, *ἡ* *καὶ ἡ* *ἐν ἑαυτῶν, μὲνεν, καὶ ἡ* *καρὰ ἰμῶν πλὴν ὡς*. Quae verba sunt subobscura, non modo per se sed coniuncta in primis cum illo de amore Christi praecepto. Gaudium igitur Christi, sunt, qui de discipulorum gaudio, quo vel discessionem Christi ferre deberent, alii, iique multo plures, qui de ipsius Christi gaudio interpretentur; vtrique tamen sententiam non vno modo declarant. Quas discrepantes sententias enarrare aut examinare non est necesse, satis est dicere, quid nobis maxime consentaneum videatur. Ac nobis loca similia conferentibus similesque loquendi modos non licet dubitare, quin Christus de illa, discipulorum videlicet, laetitia loquatur. Etenim si amor Christi v. 9 & 10. intelligendus est, id quod supra plenum fecimus, de amore quo Christo deberent addicti esse,


sequitur, *gaudium Christi* eorum esse, qui Christi rebus gauderent. Labet etiam mirari quod non contulerint locum nostri simillimum c. XIII, 38. in quo Christus claris verbis dicit: *si me amaretis* (plane ut nostrum ante locum eundem amorem postulauerat), *gauderetis certe quod me ad Patrem abiturum dixerim*, & alterum c. XVII, 13: *Haec dico*, dum adhuc verborum in terrarum orbe (nempe quod tui sint hi mei discipuli, atque rogo ut eos in fide erga me contineas), *ut habeant in se gaudium meum perfectum*, quibus verbis eadem subiicit de odio profanorum hominum a discipulis suis subeundo, quae nostro in loco pariter subiiciuntur. At illo in loco nihil est de gaudio ipsius Christi, sed causae satis cur ii, aegritudine abiecta, laetarentur rebus suis. Et vero etiam ipsis in his verbis, quorum sensum quaerimus, ἡ χαρὰ ὑμῶν satis docet, τὴν χαρὰν τὴν ἐμὴν ἐν ὑμῶν nihil aliud esse, quam id quod volumus. Nam quod dicant, χ. ὑμῶν disjungi a χ. τῆ ἐμῆ, optantium est potius quem docentium. Potest enim ἡ χ. ὑμῶν vim habere interpretandae alterius χαρᾶς, & sefellisse videtur fecus sentientes hoc, quod ἐν ὑμῶν referrent ad verbum μένη, cum posset pariter coniungi cum χαρὰ, ut χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῶν fit, *gaudium vestrum de me*. Esse autem τὴν χ. ὑμῶν plane eandem cum χ. τῆ ἐμῆ, nullam habet dubitationem propter locum, quem citauimus e cap. XVII, 13. simillimum, in quo πεπληρωμένη dicitur ἡ χ. ἡ ἐμὴ, ut hic πληρωθῆ de χ. ὑμῶν. Sed quid hoc est: *dixi haec vobis de conseruando in me amore, ut gaudium vestrum de me maneat aut conseruetur, gaudiumque vestrum perfectum sit?* siue quo modo haec sunt coniuncta, ut vnum ex altero sequatur? id enim erat alterum quod quaerebatur. Principio gaudium illud, de quo loquitur, haud dubie est laetitia ea, quam capere deberent ex perfectione Christi in coelum, propterea quod eandem sententiam c. XIII, 28. sic effert: *Si amaretis me, certe gauderetis, quod*

quod dixerim me ad Patrem abiturum, estque illa laetitia contraria tristitiae, qua propter Christi discessionem afficiebatur. Sed hinc non se dedissent, nisi sui suorumque commodorum magis amantes fuissent quam Christi. Itaque iubet, ut animos intendant in verissimam felicitatem, quae sibi parata esset, sed item iis ipsis aliquando, ut iam alibi c. XIII, 2. 3. dixerat; quod si facerent, pollicetur *perfectam laetitiam* h. e. quae & tristitiam omnem expellat, nec finem habitura sit. V. c. XVI, 21. 22.

Est ea vis amicitiae atque gaudii, quod ex amicorum percepta felicitate nascitur, ut non modo fugiamus quae eam turbare possint, sed, quidquid etiam ad augendam diffundendamque eam valeat, id igitur studiose agamus, atque, si nulla aut non satis magna potestas detur de amico bene merendi, qui erga eum non possimus esse, iidem certe simus erga eos, qui eius amore fruuntur. Hac quidem de causa venire videtur Christus ad amoris mutui discipulorum commendationem factam his verbis v. 12. *Hoc est mandatum meum ut vos inuicem modo ametis eo quo ego vos amavi*; cuius sui amoris vim veritatemque adumbrat sic v. 13. *Maiorem nemo amorem habet hoc, quo ductus vel vitam suam ponat pro amicis suis*. Vos igitur, addit, v. 14. 15. *amici mei*, atque hoc nomine vere digni eritis, si feceritis quae vobis mandauerim. Non porro vos appello seruos, ut quidem fecerat pridie, c. XIII, 13. 14. 16. *neque enim seruus scit quid agat Dominus*, non ita familiaris est Domino seruus, ut cum eo ille omnia consilia communicet, rationemque ei praeceptorum reddat, satis habet, quae velit, iussisse. Vos autem *amicos dixi* propterea quod, quae e Patre meo didicerim, omnia patefecerim vobis. v. 16. *Non vos me asciuistis, sed ego asciui vos*, & tamquam arbores, *plantavi vos, ut fructum ferretis cumque continuum* (*καὶ ὁ καρπὸς ὑμῶν μένη*), quod habebit hanc vim, ut, quodcumque rogaueritis Patrem nomine meo,

meo, id largiatur vobis. v. 17. Hoc vobis praecepi, ut vos mutuo amaretis. Quae verba nihil continent quod declarationem desideret. Est enim perspicuum: ἑθνικα, verbum esse ab arboribus aut vitibus ductum ut in superiori sermone, verba etiam, *ἡμεῖς ἀγάπητε*, more Ebraeorum redundare; res ipsae ex iis quae ad v. 2. 7. 8. dicta sunt, facile intelliguntur. Cetera suo loco & tempore B. C. D. illustrabimus.

Vestrum iam est, *Ciues carissimi*, inspicere, tamquam in speculum, in haec IESU CHRISTI praecepta, atque omnem dare operam, ut hanc ad imaginem, quam Christus in superioribus sermonibus adumbravit, conformemini. Neque enim ignoratis, academias quoque non solum doctrinae sed etiam verae virtutis seminaria esse debere, *Vos* autem in iis positos esse, ut fructus feratis, non raros, non perituros, sed vberimos, sed perennes, non *Vobis* modo, sed aliis quam plurimis profuturos, qui velint sapientiae pietatisque *Vestrae* fructus capere. Enimvero qui sint aut saniores aut veram ad beatitudinem vberiores, DEO QVE O M. vnice probati, quam qui nascantur e diligentia commentatione doctrinae Domini nostri IESU CHRISTI immortaliumque eius meritorum de genere humano, de *Vobis* etiam, quos ante conciliauit DEO, quam vel cogitando aut optando possitis ad eius amorem accedere? In illam, hos quoque per dies memoriae VERISSIMI AMICI ET FRATRIS NOSTRI consecratos, animos intendite Vestros, eiusque ex amore noua incitamenta capite ad veram pietatem disciplinamque eius saluberrimam sequendam, ut digni nomine *amicorum* eius, EI viuendo, reperiarnini. P. P. pridie sollempnit. Paschal. d. XXV. Martii A. C. MDCCLXXX.



Fe 4194

ULB Halle

002 623 889

3




St

Retrov







36.

37

INTERPRETATIO GRAMMATICA
LOCI IOANN. C. XV, I -- 17.

PROLVSIO PASCHALIS.
AVCTORITATE
FRIDERICIANAE REGIAE HALENSIS
SCRIPSIT
IO. AVG. NOESSELT.

HALAE,
LITERIS HENDELIANIS.
MDCCCCLXXX.

